

PH. quid istuc [est]? *AN.* rogitas, qui tam audaci'
facinori' mihi conscius sis?

5 quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset
neu me cupidum eo impulisset, quod mihi principiumst mali!
non potitus essem: fūisset tūm illos mi aegre aliquot dies,
at non cotidiana cura haec angeret animum, *PH.* audio. 160
AN. dūm exspecto quam mox veniat qui adimat hanc mi
consuetudinem.

10 *PH.* aliis quia defit quod amant aegrest; tibi quia superest
dolet:

amore abundas, Antipho.

nam tua quidem hercle certo vita haec expetenda optandaque
est.

ita me di bene ament ut mihi liceat tam diu quod amo frui, 165
iam depecisci morte cupio: tu conicito cetera,

15 quid ego ex hac inopia nunc capiam et quid tū ex ista copia,
ut ne addam quod sine sumptu ingenuam, liberalem nactus es,
quod habes, ita ut voluisti, uxorem sine mala fama palam:
beatu', ni unum desit, animu' qui modeste istaec ferat. 170
quod si tibi res sit cum eō lenone quo mihist tum sentias.

20 ita plerique ingenio sumus omnes: nostri nosmet paenitet.

AN. at tu mihi contra nunc videre fortunatus, Phaedria,
quoi de integro est potestas etiam consulendi quid velis:
retinere amare amittere; ego in eum incidi infelix locum 175
ut neque mihi [ei(u)s] sit amittendi nec retinendi copia.

25 sed quid hōc est? videon ego Getam currentem huc
advenire?